



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Bona opera facta ab eo qui erat in statu gratiæ, quique postea incidit  
in mortale peccatum, per quod meritum amiserunt, recuperantur-ne per  
Pœnitentiam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

*De Sacramento Pœnit. Cap. IV. 19*  
posset : ita quædam sunt peccata , quæ non remittuntur ; quia is qui ea commisit , gratiam Dei spernit , quâ solâ curari potest : juxta id quod habetur Proverbiorum 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.*

Et in hoc sensu Divus Augustinus dixit : *Tanta labes est illius peccati , scilicet cum post agnitionem Dei per gratiam Christi , oppugnat aliquis fraternitatem ; & adversus ipsam gratiam invidia facibus agitatur , ut deprecandi humilitatem subire non possit , etiamsi peccatum suum malâ conscientia agnoscere & annunciare cogatur.*

S. Aug. lib. 12  
De Serm. Do-  
mini in mon-  
te. cap. 43.

Cum etiam legimus aliquos non esse consecutos veniam peccatorum suorum , licet eam ardentem petierint , id accidisse omninò fatendum est , quia non verè dolebant de peccatis suis ; hinc ait Divus Thomas : *Nec Antiochus verè pœnituit : dolebat enim de culpa praterita , non propter offensam Dei , sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur , quam agnoscebat ex peccato suo procedere.*

S. Tho. 3. P1  
q. 86. art. 1.  
ad 1.

*Quæst. 4. Quinam alii sunt effectus Pœnitentiæ ?*

*Resp. Concilium Tridentinum ait: Effectus hujus Sacramenti quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet , reconciliatio est cum Deo , quam interdum in viris piis , & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus , conscientia pax & serenitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet.*

Sess. 14. cap.  
3.

*Quæst. 5. Bona opera facta ab eo , qui erat in statu gratiæ , quique postea incidit in mortale peccatum , per quod meritum amiserunt , recuperantur-ne per Pœnitentiã ?*

*Resp. Ut ait Divus Thomas : Opera mari-*



D. Tho. 3. p.  
q. 89. art. 5.  
in corp.

toria per peccatum mortificata, remanent quantum est de se: quia semper Deus illa opera prout facta fuerunt, acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt; secundum illud Apocalypsis: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Sed quod isti qui ea facit, non sint efficacia ad ducendum ad vitam eternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vitâ aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per Pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata; unde restat quod opera prius mortificata, per Pœnitentiam, recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit, in vitam eternam.

Quæst. 6. Bona opera facta in statu mortalis peccati, possunt ne effici meritoria vitæ aeternæ per Pœnitentiam?

Resp. Non possunt, quia illa opera nunquam à principio vitæ spiritualis processerunt, unde quam nunquam habuerunt vitam, recuperare non possunt. Quare illa opera quamlibet videantur eximia, comparat Divus Thomas, 3. p. q. 89. art. 6. in corp. sono Cytharæ, quæ dicitur vox mortua. Hinc fit, illa opera nihil prodesse, ut ait Apostolus, 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, nimirum ad salutem, quamvis prodesse possint ad remunerationem temporalem, & sint tanquam dispositiones ad obtinendam Pœnitentiæ gratiam, maximè si ea de causâ fiant. Sic v. g. quando peccator dat eleemosynam, aut facit aliquod aliud bonum opus ad obtinendam Pœnitentiæ gratiam, hoc est, initium bonæ voluntatis ad mutandam vitam, & quamvis adhuc imperfecta sit, non debet tamen considerari ut inutilis & sine